

mis insulis a Chariadeno foede direptis, ac vastatis, tantus terror invaseret, ut nonnulli eo præcipites acti, seditiosos rumores diffiperent, quamprimum hostes cum classe appellerent, ultro ditionem facturos. Quare cum plerique maxime commoverentur, atque urbium conventus, Cretenses parum sincerae in Rempublicam fidei maculis aspergi animadverterent, legatos cum literis ad Senatum misere, quibus demisse petebant, ne paucorum infimæ gentis crimina, qui errore, atque ignorantie potius, quam prava mente in Rempublicam lapsi fuerant, quidquam de sua fide, & constantia imminutum censerent; opes, filios, vitam denique ipsam Senatui deferre, quam ultro intrepide pro Reipublicæ incolumitate, ac dignitate profunderent: orare, ut milite, ducibus, classe, annona, ceterisque ad bellum necessariis subveniretur, ut hosti insulam invadenti fortiter obsisterent. Legati perhumaniter habitæ, coloniæ fide, atque constantia laudata, dimissi fuere. Mox quinque aureorum millia decreta, statimque missa; Pesareo imperatori in mandatis datum, ut Franciscum Paschalicum, classis legatum, cum selectis triremibus in Cretam iterum mitteret, tres quoque Nauplium proficiisci juberet. Cretæ vero magistris datæ literæ, quibus nobilium, & popularium animi confirmarentur. Corcyram Stephanus Theopolus cum summo imperio missus; commeatus, tormentarii pulveris, atque aliarum rerum in usus belli ingens copia navibus delata. Valerius Ursinus in eadem insula universæ militiæ præficitur. Pesareo imperatori, ut opera quamprimum, uti decretum fuerat, ad oppidum muniendum perficenda curaret, jubetur; iis perfectis in patriam reverteretur; cui postea Vincentius Capellius successor a Senatu, ac majoribus Comitiis datus est. Ascrivium, Epiri urbs in penitiore Rhizonici sinus parte sita, validiori præsidio firmata; munitionibus erectis, tutior, & ad hostium impetus sustinendos munitior redditur. Dalmatiæ præterea oppidis, atque urbibus pedites, & annona subministrantur. Camillo Ursino militiæ præfecto, ut, recensitis militibus, ad duo selectorum millia redigeret, mandatum. Complures quoque tum e Græcia, tum ex Illyrico equites levioris armaturæ ad liberandos ab hostium incursionibus fines accersiti. Et quo in usus belli pecunia sufficeret, ut a terrestribus Venetorum

1538

*Cretenses legati ad Sonatum.*

*Franciscus  
Paschalicus  
in Cretam  
mittitur.*

*Stephanus  
Theopolus  
cum impera-  
tore Corcy-  
ræ legatus.  
Valerius*

*Ursinus praefidii Corcyrensis praefectus.*

Vincentius  
Capellius  
Pefarei lo-  
co classis  
imperator.

*Camillus  
Ursinus in  
Dalmatia  
militiae prae-  
fetus.*